

Cap. LV.

DE VESTIARIIS VEL CALCIARIIS FRATRUM.

Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quod prius dixit de hospitibus, et subjunxit, ut non debeat quilibet aliquid accipere sine iussione abbatis, et postea dixit de vestiariis et calciariis fratrum, ne quis diceret: quia hoc, quod mihi directum est, volo habere, et statim adjecit, quid et quantum debeant monachi habere excepta speciali necessitate.

Sequitur: *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant, aut aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.* Vestiarium est, ubi vestimenta ponuntur. Illud enim, quod dicit *qualitatem locorum*, duobus modis intelligitur, i. e. uno modo intelligitur *qualitatem locorum*, juxta quod potest in illo loco, ubi habitant, abbas vestimenta invenire; altero modo intelligitur *secundum qualitatem loci et aerum temperiem*, quod unum significat, ac si diceret: secundum qualitatem locorum; et exponendo, quid sit *secundum qualitatem locorum*, subjunxit, i. e. aerum temperiem. Sed iste sensus posterior verior est, ideo exponendo protelavit gradatim sententiam, cum dicit: *quia in frigidis locis amplius indigetur, in calidis vero minus.*

Sequitur: *Haec ergo consideratio penes abbatem est. Penes abbatem*, i. e. apud abbatem. In hoc loco attendendum est, quia sicut de cibis et potibus constituit in potestate abbatis, eo quod propter diversas qualitates corporum non potuit discernere, ita etiam nunc de vestimentis cognoscitur in arbitrio abbatis constituere, quia propter qualitates diversas locorum non potuit diffinire mensuram vestium. Verum non ita constituisse in arbitrio abbatis intelligendum est, ut sicut vult abbas injuste disponat, sed quia ille propter diversa impedimenta non potuit haec diffinire, ille abbas recte et juste discernat.